

www.e-rara.ch

Tetras problematum theologicorum, de imaginibus

Waser, Kaspar

Tiguri, 1612

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: 5.121,7

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-10070>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

7.
Tetras

Problematum Theologicorum,
DE
IMAGINIBVS,
ad disputandum proposita
in Schola Tig.

^a
CASPARO VVASERO,
ibidem S. Theologiæ professore.

ATHANASIUS contra Gentes :

Imaginum inventio non a bono, sed a malo
existit. Quod autem habet malum princi-
pium, non potest esse bonum, utpote
totum malum.



TIGVRI,
Typis Ioh. Rodolphi VVolphii,

M. DC. XII.

Illustri & generoso Viro,
DN.
HERCVLI A SALIS,
Equiti Aurato, &c.

Inclytæ Reipubl. R H A E T I C A E
Proceri magnificentissimō
meritissimōq.
Patrono meo maximo,

Isthanc de I M A G I N I B V S Tetradem
devoti amoris & summæ observantiæ
symbolum perpetuum

D.
CASPAR VVASERVS,
Tig.



Tétrás
 Problematum Theologicorum,
 DE
 I M A G I N I B V S.

I. P R O B L E M A

An inter Imaginem & Idolum sit discrimén.

1. ADVERSARIJ nostri Papani, & inter hos Bellarminus, eorum ἐχέμαχ &, asserunt discrimen esse inter Imaginem & Idolum: Imaginem rei veram; Idolum verò falsam similitudinē referre. Hinc in Scripturis Idola, non Imagines prohiberi volunt. Nos econtrá asserimus, inter hæc discrimen non esse, ac proinde cum Imagines prohiberi, quas colas, tum Idola. Assertionis nostræ rationes sunt hæc:

2. PRIMA, Quia Scriptura discrimen illud non agnoscit. 1. Ab aucto-
ritate Scri-
pturæ.
 Hoc intelligitur cum ex alijs locis, tum ex Rom. 11, 4. & ex 1. Reg. 19, 18. in quorum priori dicuntur fuisse septies mille viri; qui non flexerunt genua τῇ Βααλ, id est, εἰκόνι, Imagini: in posteriori verò τῷ Βααλ, id est, εἰδὼ λω, Idolo. Hoc modo ἀδελφοί, dicuntur simulacra Βααλ εἰκόνες, Imagines 2. Reg. 11, 18. at εἰδὼ λα αὐτοῦ, Idola ejusdem, 2. Chron. 23, 17. & c. sic vox צלם Tzelem redditur εἰκὼν, Imago, Ezech. 7, 20, & 16, 17. at εἰδὼ λω. Idolum, Num. 33, 52. Pariter vox פסל Pesel Exod. 20, 2. vertitur εἰδὼ λω: at εἰκὼν Imago Esa. 40, 10. Εἰκὼν autem est imago & similitudo rei veræ & subsistentis: ut agnoscit Bellarminus ipse l. 2. c. 6. de eccl. triumph.

3. SECUNDA, Quia si inter Imaginem & Idolum hoc 2. Ab usu Ve-
terum.
 discriminis est, ut Imago rem referat veram & subsistentem, Idolum verò falsam & fictam: tunc Veteres illi, qui colebant Imagines hominum; qui olim vixerant, aut adhuc vivebant (ut erant imagines & statue viventium Cæsarum, quod de C. Caligula, in vita adhuc morantis, statua Philo testatur:) non dicendi erunt Idololatræ: ut nec illi, qui Christi imaginem venerabantur; quem creaturam tantum affirmabant. At hi idololatræ passim accusantur. Nam Irenæus, qui floruit circa annum

Christi CLXXX. lib. 1. cap. 23. inter errores Basilidis, & sectatorum
 ejus hunc etiam recenset, quod uterentur Imaginibus. Et cap. 24. inter
 hareses Carpocratis & Gnosticorum, perniciosissimorum illius temporis
 hareticorum, istam numerat, quod depictas haberent Imagines Christi
 & Apostolorum, easq; coronarent & adorarent. Hinc apparet, quod si
 tunc Imaginum usus aliquis in Ecclesia orthodoxa fuisset, cum hareticis
 illum, tanquam impium, Irenaeus non exprobrasset. Prompta enim illis
 fuisset exceptio, idem a ceteris quoque Christianis & orthodoxis facti-
 tari. Ac ne objiciat Iesuita, praedictos hareticos ab Irenaeo reprehendi,
 quod imaginem Christi cum Pythagora, Platonis, Aristotelis, aliisq;
 profanorum Imaginib. miscerent: scias primo, illos ideo accusari, quod de-
 pictam atque etiam effictam haberent imaginem: deinde quod eam sertis
 & coronis ornarent, atq; ita venerarentur, ut Gentes solebant idola sua
 venerari, & olim Samaritani Iehovam, Deum Israelis, gentili more
 venerabantur.

3. Ab auctorita-
 te Patrum.

4. TERTIA, Quia nec orthodoxi Patres Ecclesiae primavae
 inter Imagines ab hominibus cultas & Idola distinxerunt.

Testis praeter aliis Iustinus Martyr; qui floruit circa annum Christi
 CLXIV. inquit in dialogo cum Tryph. Iudaeo: Dicite mihi, annon
 Deus is erat, qui per Mosem sanxit, μήτε εἰκόνα, μήτε ὁμοίωμα,
 & c. πῶς αὖ, nullā omnino fieri vel imaginē, vel similitudinem?
 Vbi quod versio Græca LXX. habet εἰδὼλον, ille εἰκόνα reddit: ne quis
 cavilletur, inter εἰκόνα καὶ εἰδὼλον, Imaginem & Idolum, discrimen
 esse, ac proinde fabricationem Idolorum gentilium tantū prohibi-
 tam. Et Tertullianus; qui floruit circa annum Christi CC. Omnia,
 inquit in lib. de Idol. colit humanus error, praeter ipsum omni-
 um conditorem. Eorum Imagines idola: Imaginum consecra-
 tio idololatria. Item, eodem libro: Εἰδὼλον δὲ αὖ ab εἰδ &, hoc est,
 formula. Εἰδ & formam significat: Εἰδὼλον formam fecit. Igitur
 omnis forma vel formula Idolum se dici exposcit, & c. Et Augu-
 stinus, in Psal. 103. Quod attinet ad ipsa simulachra, quæ Græcè
 appellantur Idola, quo nomine jam utimur pro Latino, oculo-
 los habent, & non vident, & c. Simulacrorum nomine ait notari
 Imagines

imagines humanas. At simulacra dicit esse Idola. Ergo Idola sunt Imagines humanae, &c. Ad stipulatur Anshelmus Laudunensis in glossa biblica interlineari ex Patribus confecta; qui in Deut. cap. 4. verba illa Formam non vidistis, exponens ait: Ne scilicet volens imitari sculpendo faceres Idolum tibi, &c. Ergo manufacta Imago Dei est Idolum. Iam si manufacta Imago Dei est Idolum: quid ni Imagines Christi & Sanctorum erunt Idola, maxime si cultu religioso afficiantur?

5. CAETERVM idem de Imaginis & Simulacri discrimine iudicium est. Nam quod Bellarminus ait, Imaginem non recte vocari simulacrum, & simulacrum ubique poni in Scriptura pro idolo, id commentitium est. Simulacrum enim dicitur a similitudine proprie, eo quod simile sit ei, cuius est simulacrum: quam etymologiam tradunt Lactantius, Thomas & alii: non a simulando eo, quod est falsum, ut fingit ille. Deinde simulacrum non nisi falsum Deum referre, negatur ex loco Actor. 7. 41. ubi vitulus aureus nominatur a Stephano simulacrum, ut habet editio vulgata (nam in Græco est εἰδωλον:) vitulus autem ille Israëlitis non falsum, sed verum Deum representabat. Negatur tertiò simulacrum ubique poni pro idolo ex locis Exod. 34. 15. Lev. 26. 30. Esa. 10. 10. Act. 17. 73. & infinitis aliis; quibus brevitas causæ super sedemus.

Huiusmodi est primum Problema.

II. PROBLEMA.

An Imagines liceat facere & habere.

DISTINGVIMVS inter Imagines. Imagines alie licitæ sunt: alie illicitæ. Licitas vocamus; quas Deus lege sua non prohibuit: veluti Imagines rei alicujus honestæ, & bonis moribus non adversantes, servientes solummodo vel ad typum, vel ad ornatum, vel ad memoriam, vel ad disciplinam. Cujusmodi Imagines sunt serpens aneus; & illa, quæ in Tabernaculo, Templo & Palatio Hierosolymitano, quondam posita fuerunt: Imagines item parentum & aliorum hominum: nec non stirpi.

um & aliarum rerum physicarum vel mathematicarum, &c. Hujus generis Imagines, quia prohibita non sunt, asserimus posse fieri ac haberi: ne Mahumetanorum similes videamur; qui nullas Imagines ferunt, sed omnes, seu pictas seu sculptas, detestantur, & Christianos, qui his delectantur, idololatrias cognominant.

2. Illicitas vocamus; quas Deus lege sua prohibuit: veluti Imagines inhonestas, & adversantes bonis moribus: inprimis verò factas religionis causâ, sive representent rem verè existentem, ut Imagines veri Dei, Angelorum, Solis, Lune, &c. sive fictam, ut Imagines falsorum Deorum, & eorum, quæ nunquam fuerunt, nec erunt, nec sunt in rerum natura: imò etiam Imagines divino jussu factas, si religiosus cultus eis habeatur: qualis imago fuit serpens aneus, quum incensum ei populus adoleret, &c.

3. Et de his quidem hoc loco queritur. Bellarminus, & quicumque idem cum illo sentiunt, fabricationem harum Imaginum γυνῆν καὶ πόλιν, quod ajunt, novis quotidie paradoxis, seu machinis quibusdam & tormentis bellicis propugnant. Nos illam χερσὶ καὶ ποδὶ oppugnamus. Et Dei quidem Imagines cur vel non fieri, vel non haberi possint, hæc potissimum rationes sunt:

1. Ab aucto-
ritate Scri-
pturæ.

4. PRIMA, Quia Imagines Dei pingi posse Scriptura ἀπαγορεύει negat. Hæc etenim postquam dixit Exod. 20, 4. Ne facias tibi sculptile, & statim subjunxit, aut ullam imaginem, ne videlicet quis putaret, sculptilia tantum prohiberi, non verò etiam pictas Imagines, &c. explicationem subjicit, eorum; quæ sunt in cælo sursum, &c. His verbis prohibet omnes Imagines factitias cum Angelorum, Solis, Lune & cæterorum siderum, &c. tum Dei ipsius. Ratio una additur a Mose Deut. 4. 16. quia Dei similitudinem Iudæi non viderint: quæ ratio hoc concluditur syllogismo:

Quod Deus in monte Iudæis ostendit: id eis exemplar debet esse cultus divini. Hæc propositio habetur Exod. 25, 40. & Heb. 8, 5. ubi dicitur, omnia Mose faciendâ esse ad exemplar, quod ipsi esse ostensum in monte. At in monte nullam sui similitudinem Deus Iudæis ostendit.

Ergo

Ergo Deo nulla similitudo est facienda.

Altera additur ab Esaia, cap. 40. 25. Cui similem facietis Deum? & quam similitudinem disponetis ei? Hec ratio isto syllogismo perficitur:

Quod est incorporeum, infinitum, ἀχρημάτιστον: id corporeā, finitā, et formam habente imagine, sine majestatis ipsius diminutione representari nequit.

At Deus est incorporeus, infinitus, ἀχρημάτιστος.

Ergo Deus corporeā, finitā, & formam habente imagine, sine majestatis suae diminutione, representari nequit.

5. SECUNDA ratio, Quia Imagines Dei pingi posse orthodoxi etiam Patres ingenuē negant.

2. Ab auctoritate Patrum.

Clemens Alexandrinus, qui floruit circa annum Christi cxc. lib. 6. Strom. Nobis nullum est simulacrum in Mundo; quoniam in rebus genitis nihil potest Dei referre imaginem. Tertullianus, qui floruit circa annum Christi cc. lib. de Idol. Deus omnem similitudinem vetat fieri: quanto magis imaginis suae? Origenes, qui floruit circa annum Christi ccxxv. contra Cels. lib. 7. Ne simulacra quidem nos veneramur: quippe qui Deum ut invisibilem & incorporeum figurā nullā circumscribimus. Lactantius, qui floruit circa annum Christi cccxx. lib. 2. Inst. cap. 2. Hominis imago necessaria tum videtur, quum procul abest: supervacua futura, quum praesens est. Dei autem; cujus spiritus ac numen ubique diffusum, abesse nunquam potest: semper utique imago ejus supervacanea est. Chrysostomus, qui floruit, circa annum Christi cccxcv. in 3. cap. Esa. Quid magis ridiculum, quam quum homo est opifex Dei? Ideo dicitur ἐδιδούμα, abominatio, a ἐδιδούμεν, quod est valde odisse. Augustinus, qui floruit circa annum Christi ccccxxi. De fide & symb. Exsecratur Apostolus eos; qui commutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem corruptibilis hominis. Tale enim simulacrum nefas est Christiano in templo collocare, &c. Damasceus idem confirmavit posterioribus seculis. Floruit enim circa

annum Christi DCCXXX. cuius hæc verba sunt lib. 4. orb. fid. cap. 17.
Invisibilibus, & incorporeis, & inelcircumscriptibilibus, & infigura-
bilis Dei quis potest facere representationem? Insipientia igitur
extremæ & impietatis est figurare divinitatem. Hinc in
antiquo Testamento tritus non fuit Imaginum usus, &c.
Hæc Damasceni verba acriori meditatione digna sunt, quia, etsi is
Imagines Christi & Angelorum defendit: tamen Dei Imagines impro-
bat ac prohibet; quam ejus sententiam Thomas & Durandus corro-
borant. Nicephorus lib. 18. cap. 53 inquit: Imagines, etiam Patris &
Spiritus sancti effigiant: quod perquam est absurdum. Imagi-
nes enim corporum eorum sunt, quæ videri & circumscribi
possunt: non eorum; quæ^{vis} visibilia sunt, & intelligentiâ com-
prehendi nequeunt. Nicetas de Imaginib. Dei essentiam pin-
gentes furiosi. Exstat epistola regis Agrippa ad C. Caligulam Cæs.
statuam suam in templo Hierosolymitano collocare volentem, quam re-
citât Philo Iudæus, hæc non prætereunda: Hoc templum, inquit rex,
Cai Domine, jam inde ab initio nullam unquam admisit ma-
nufactam effigiem, quum sit Deo domicilium. Pictorum enim
atque statuariorum opera sunt sensibilibus Deorum imagi-
nes. Illum autem invisibilem pingere aut fingere nefas duxe-
runt nostri Majores, &c.

6. TERTIA ratio, Quia Concilium Elibertinum probatæ
notæ, in Hispania celebratum, anno Christi DCCXCII.
Imaginum Dei picturas expressè prohibet: Placuit, inquit, pi-
cturas in Ecclesiis esse non debere, ne, quod colitur, aut ado-
ratur, in parietibus depingatur. Loquitur Concilium de Imagine
Dei; quia quod colitur, aut adoratur, id dicit non esse depingendum. At
coli aut adorari debet solus Deus. Ergo Deum non esse depingendum
dicit. Nec obstat, quod Iesuita Cardinalis infert, Concilium intelligen-
dum esse de Imagine Dei primi generis, quæ scilicet sit ad exprimen-
dam perfectam, immediatam & propriam divinæ naturæ similitudinem:
non quæ sit ad Imaginem imperfectam, mediatam & metaphoricam.
Hanc talem enim pingendi Dei imaginem Scriptura ignorat: ut quæ
Dei

Dei imagines factitias prohibet ac detestatur universaliter & indiscriminatim. Hac de Imaginibus Dei.

7. Imagines deinde hominū, etiam sanctissimorum, si ad colendum fabricentur ac proponantur, Scriptura pariter atque Veteres vehementer improbant. De scriptura nemini dubium; qui scita ejus, partim hoste-nus commemorata, partim deinceps commemoranda mente suā repetit. Inter Veteres autem primus est Iosephus; qui lib. 18. ant. Jud. cap. 4. refert, Iudeos Imagines Caesaris; quas Pilatus in sanctam civitatem inculerat, ferre noluisse. Cur? Subdit Iosephus, Εἰκότων ποίνειν ἀπαγορεύοντες ἡμῖν τὸ ἰδεῖν, eō quod facturam Imaginum Lex nob. prohibeat. Hoc παγίως constabit Tertullianus. Quum enim veteres Idololatra ipsi objicerent, Cur Moses in eremo simulacrum serpentis ex aro fecisset, respondet, Præceptum fuisse extraordinarium. Bene, inquit, quod idem Deus & lege vetuit similitudinem fieri, & extraordinario præcepto serpentis similitudinem edixit. Concludit tandem, nullas omnino fieri debere Imagines, nisi quas Deus præceperit. Nefacias, inquit, adversus legem simulacrum aliquod, nisi & tibi Deus iusserit, &c. Cum Tertulliano planè sentit Clemens Alex. lib. 5. Strom. Moses multis antè seculis apertè legem sanxit, Μη δὲ ἐν γλυπτὸν, χωνευτὸν, πλαστὸν, ἢ γραπτὸν ἀγαλματι καὶ ἀπεικόνισμα ποιῆσαι, nullam oportere sculptilem, vel fusilem vel fictā, vel pictam imaginem simulacrumve facere: ut sensilia minimè attenderemus, sed ea transiremus, quæ percipiuntur intelligentiā, &c. Nec Clemens utitur nomine εἰδώλου, verum ἀγάλματος, καὶ ἀπεικονίσματος, ut dictum.

8. Sed & Synodus universalis Constantinopolitana v. l. quam numero CCCXXX. Episcopi constituebant, rectè definit, ac velut e sacrosanctæ pronunciat, OMNEM IMAGINEM, ex quacunque materia, improbā pictorum arte factam, AB ECCLESIA CHRISTIANORVM rejiciendam, veluti alienam & abominabilem. Et definitione 17. Si quis sanctorum omnium ideas in Imaginibus inanimatorum & mutis materialibus coloribus depingere studeat, quum usum nullum afferant, ANATHEMA sit. Vana enim

enim est excogitatio, & diabólica insidiationis inventio. Nonne satius fuerit illorum virtutes & facta, quæ per scriptas historias tradita sunt, veluti vivas quasdam Imagines in seipso depingere, & ad eadem ista seipsum zelo istiusmodi excitare, quemadmodum sancti Patres nos docuerunt, &c. *Alludit Synodus (quod πρὸς πρὸς notetur) ad augustissima Augustini verba: Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum: quia si pie vixerunt, non sic habentur, ut tales quærant honores: sed Deum a nobis coli volunt. Honorandi ergo sunt propter imitationem, non adorandi propter religionem, &c.*

9. *Ex his vero, quæ allata sunt, æquos Christianos iudices fero, Imagines Dei & hominum tam accuratè defendere, an in illis sit ferendum, qui, dum non Christi, aut prisca Ecclesiæ placita, sed huius seculi aut proximorum exitiabilia inventa amplectuntur, interim se bonos Catholicos & Domini IESU discipulos ac sectatores haberi postulant. Huiusmodi est Problema secundum.*

III. PROBLEMA.

An liceat Imagines factas habere in Templis, &c.

NEGAMVS contra eosdem Papanos. *Rationes sunt istæ:*
 1. *PRIMA, Quia Imagines collocatæ in Templis materiam erroris & idololatriæ suppeditant sive Ecclesiæ infirmis membris, sive ejusdem hostibus: Erroris; quatenus ex earum figura aliter imaginantur homines Deum vel Sanctos, quam re vera sunt. Idololatria verò; quatenus cultus ipsis exhibetur & adoratio; quia Dei putantur esse Imagines.*

2. *Verissimum hoc esse partim universa hæc experientia locupletissimè testatur, quando Imaginibus sacella & templa extruuntur, aræ consecrantur, capita aperiuntur, oscula figuntur, genua flectuntur, corpora incurvantur, circumgestationes, supplicationes, vota, peregrinationes aliæq; religiosa officia præstantur: partim consensus veterum Patrum in verè antiqua fide primæve Ecclesiæ luculentissimè comprobatur.*

3. *Augu*

s. Ab eff. & is
 imaginum.

3. *Augustinus ep. 49. ad Deo gratias:* Et idol quidem omnia sensu carere quis dubitet? Veruntamen quum his locantur sensibus, honorabili sublimitate, ut a precantibus atq; immolantibus attendantur, ipsa similitudine animatos u membrorum atq; sensuum, quamvis insensata & exanima, afficiunt infirmos animos, ut vivere ac spirare videantur, accedente praesertim veneratione multitudinis; qua tantus eius cultus Dei impenditur. *Et de Consens. Evang. lib. 1. c. 10.* Omnino errare meruerunt, qui Christum & Apostolos ejus non in sanctis codicibus, sed in pictis parietibus quaesierunt. *Et in Psalmum 113.* Plus valent simulacra ad curvandam infelicem animam, quod os, oculos, aures, pedes habent, quam ad corrigendam, quod non loquuntur, neq; vident, neq; audiunt, &c. *Ex quibus Augustini verbis Cassander, vir summa apud Pontificios auctoritatis, concludit,* Hinc constare Augustini aetate simulacrorum usum in Ecclesiis non fuisse, in *Consul. ad Imp. Maximil. C. de Imaginib. 21.* Indicat autem Augustinus non tantum illos; qui putant simulacra esse Numina, confirmari in errore & idololatria, sed etiam illos; qui non credunt esse Numina, verum Numinum simulacra, ex ipso aspectu tandem incidere in sordidissimum affectum erroris & idololatriæ: ut quidem ex sequentibus ejus verbis ἐσθλα μορφῶν demonstrari possit. Sanctissimo huic Patri assentitur Tertullianus: Propter hanc causam, inquit, ad eradicandam scilicet materiam idololatriæ Lex divina proclamat: Nefeceritis idolum. Et coniungens, Neq; similitudinem eorum, quæ in cælo sunt, & quæ in terra, & quæ in mari. Toto Mundo ejusmodi artibus interdixit servis Dei, &c.

4. *Certe hac etiam de causa Imagines, & Idola περὶ τῶν υἱῶν indigentur תעבות Thoeboth, item שִׁכְּוִיזִים Schikkutzim, id est, Detestationes, Exsecrationes, Abominationes; detestanda quia, & exsecranda, & abominanda idololatriæ oleum præbent ac operam, Deuter. 32. 6. Esa. 44. 19. Jerem. 4. 1. Ez 6 9. et alibi. Hac de causâ & גִּלְּוִלִים Gillulim vocantur, id est stercorea; puro quia cultui Dei cultum adspargunt stercoreum, hoc est, idololatricum, 2. Regum.*

17. 12. *Ier.* 50. 2. *Ex.* 8. 10. aliisq. locis infenitit: item מֵרֶשֶׁת מֵרֶשֶׁת Mere scha
 kár, Doctores falsi, et מוֹסֵר הַבַּלִּים Musár ha-balím, Eruditio
 vanitatis: imò ipsa vanitas; quia scilicet animos supersticioso-
 rum falsitate imbuunt, ac vanitate eos nimirum ἐκδόματα τῶν ἡ
 ἀληθεία μὴ πείθεται. Pulchrè hinc Tertullianus: Non est mat falsum
 auctor veritatis; adulterium est apud illum omne, quod fingi-
 tur. Et alibi: Idololatria Deo fraudem facit: in illa etiam vani-
 tas: in illa mendacium, &c. Legimus Lacedemonios in curiis suis,
 ubi de republica consultabant, nullam imaginem vel simulacrū poni vo-
 luisse, ne senatores impedirentur in consultationib. sed de reb. propo-
 sitis quàm attentissimè cogitarent. Quanto magis in curiis cælestib. quæ
 templa sunt, caveri debet, ne Imaginum collocatione & aspectu, artifi-
 ciosè præsertim elaboratarum, nostri vagentur hinc inde oculi, distra-
 hantur animi, atque a precibus, & cæterarum rerum divinatarum arden-
 tiore contemplatione avocentur?

2. Ab aucto-
 ritate conci-
 lii Elibertini.

5. SECUNDA ratio, Quia Concilium suprâ commemoratam
 Elibertinum picturas in templis fieri expressè prohibet.

6. Iesuita hîc infert, Concilio huic nonnisi X. X. Episcopos inter-
 fuisse: & Concilium fuisse non œcumenicum, sed provinciale: & ex eo sa-
 tis intelligi, id temporis Imagines fuisse. Verùm non multitudine Episco-
 porum, sed veritatis confirmatione æstimanda sunt Concilia. Nec im-
 pedit, etsi non œcumenicum sed provinciale aut particulare fuit, modò
 œcumenicam veritatem confirmet. Præterea Deus omnis generis Ima-
 gines, ad cultum & adorationem expostas, prohibet *Exod.* 20. 4. Nec
 tamen hinc sequitur, Id temporis Iudeos Imagines habuisse. Et quid
 quæso disertius dici potuit ab Augustino, Simulacrum Deo nefas
 est Christiano in templis collocare: Hac percitus causa Severus,
 Episcopus Massiliensis, anno Christi DXC. Imagines e templis su-
 stulit.

3. Ab aucto-
 ritate Epi-
 phanii.

7. TERTIA ratio, Quia Epiphani, Salamina Cypri Episcopi,
 adhuc sæculo, qui floruit circa annum Christi CCC. LXXX. nul-
 læ in templis Christianorum fuerunt Imagines: & si quæ fue-
 runt, eas tamen orthodoxi Patres improbarunt, reiecerunt ac
 despulerunt.

despuerunt, tanquam cum scripturæ auctoritate e diametro manifestissimè pugnantes.

8. *Hoc lucidissimè apparet ex his Epiphaniî verbis, quæ Gregorius Neocæs. citat act. 6. synodi Nicenæ 2. Estote memores, dilecti filii mei, ne in Ecclesiam imagines inferatis, neq. in sanctorum cœmeteriis eas statuatis: sed perpetuò circumferete Deum in cordib. vestris, &c. Et lucidiùs ex ejus epistola ad Iohannem Episcopum Hieroselymorum; quam Latine reddidit Hieronymus, inter ejus etiam opera exstat: Quando simul pergebamus ad sanctum locum, qui vocatur Bethel, ut ibi collectam tecum ex more ecclesiastico facerem, & venissem ad villam, quæ dicitur Anablatha, vidissemque ibi præteriens lucernam ardentem, & interrogassem quis locus esset, didicissemq. esse Ecclesiam, & intrassem, ut orarè: inveni ibi velum pendens in forib. ejusdem Ecclesiæ tinctum atq. depictum & habens Imaginem quasi Christi, vel Sancti ejusdam. Non enim satis memini, cujus imago fuerit. Quum ergo hoc vidissem in Ecclesia Christi, CONTRA AVCTORITATEM SCRIPTVRARVM, hominis pendere imaginem, scidi illud & magis dedi consilium custodib. ejusdem loci, ut pauperem mortuum eo obvolverent & efferrent, illiq. contra murmurantes dixerunt: Si scindere voluerat, justum erat, ut daret velum atq. mutaret. Quod quum audissem, me daturum esse pollicitus sum & illico esse missurū, &c. Nunc autē misi de Cypro quod potui reperire. Et precor, ut jubeas præcipere in ecclesia Christi istius modi vela, quæ CONTRA NOSTRAM RELIGIONEM veniunt, non appendi. Decet enim honestatem tuam hanc magis habere sollicitudinem, ut scrupulositatem tollat, quæ indigna est Ecclesia Christi & populis, qui tibi crediti sunt. Bellarminus, juxta solium suum ὁρῶντα μεγαλαυχῆσαι Epistolam hanc suppositiciam esse, cum totis viribus contendit. Sed illum reuerendè concentus Veterum, imprimis Concilium Francfurtense: sub Carolo M. celebratum, anno Christi DCCXCVIII. Alphonſus certè de*

Castra, aduersus haereses scribens, in voce Imago, Epiphani epistola
esse omnino agnoscit. Et hanc ut probam, rōi & ydōlō rōpueat & totide
verbis allegat Concilium etiam Parisiūm sub Ludouico Bono celebra-
tum, anno Christi DCCCXXIII.

4. A fcto
Adriani
Imp.

9. **QVARTATIO.** Quia si aliquis Imaginum usus fuisset
in templis Christianorum veterum: tum Aelius Lampridius,
historiografus aethicus, in Alexandro Severo non diceret,
Adrianum Imp. in gratiam Christianorū templa iussisse ex-
struis in omnibus ciuitatibus sine simulacris.

10. **Templa hīc** quidē intelligit Bellarminus sine simulacris Gentili-
um. Verū quum Lampridius loquatur indistinctē rōi ad se pōtos, id
quōque iure merito nobis sit suspectum: praesertim quum & per longam
temporum seriem dicta fuerint templa Adriani: quae Adriani dicta
non fuissent, si imagines habuissent. Neque enim discrimen illud inter
Imagines & Idola, quod tanto feruore hodie ungetur, vulgo notum fuit.
Quadrat huc quae sūt Caeilii Echemi, in dialogo Minuen Felici: Cur
nullas aras habent Christiani: templa nulla? nulla simulacra?

11. **CAETERVM,** quae de Imaginib. in templis non collocandis,
aut habendis sunt distata & de collocatione earum in alijs locis publi-
cis, aut etiam priuatis ubi uel ad cultum, uel ad ornatum periculosum
ponuntur, intelligas. Hinc idem Epiphanius eodem loco, postquam Ima-
gines in templa & coemeteria inferendas prohibuit, subdit: Quin etiam
neque in domo communitolerentur. Et addit rationem: Non
enim fas est Christianum per oculos suspensum teneri, sed per
occupationem mentis. Haec totidem Epiphaniū verba Concilium
Constantinopolitanum VII. citat, & calculo suo probat. Ex Lampri-
dio quidē patet, Apud Christianos, Imperatoris Adriani aro, non tam
in publicis locis, quam priuatis domibus simulacra nulla exstisse. Idem
ex alijs historiis constat, Erasmo aeste, qui in catechesi sua ingenitē testa-
tur, ut ad Hieronymi aetatem, fuisse proba a uite & religionis viros;
qui publicē imaginem nullam habuerunt, nec pictam, nec sculptam, nec
textam, ac ne ipse Christi quidē, Cassander, cuius supā memini, idem
hic etiam verba confirmat: Certum est, ex Clemente & Arno-
bio,

bio, initio prædicati Evangelii aliquanto tempore inter Chri-
stianos, præsertim in Ecclesiis, Imaginum usum nullum omni-
no fuisse. Quod asserere non dubitat & Gregorius Giraldus, Roma-
na aliqum sedis acerrimus defensor, non obstante periculo temporis &
loci, in quo vixit: Illud certe non prætermittam, nos dico Chri-
stianos, ut aliquando Romanos, fuisse sine Imaginibus, in
primitiva, quæ vocatur, Ecclesia.

IV. PROBLEMA

An Imagines sint religiose colendæ.

PAPANI Imaginum cultum religiosum fervidè propugnant. Nos <sup>Abaucho-
siente scrie
ptura.</sup> & orthodoxè illum oppugnamus, his potissimùm rationib.

1. PRIMA & præcipua hæc est, Quia cultum Imaginum Deus
in Scriptura sua severissimè prohibet ac punit, Exod. 20, 5.
Rom. 1, 15. 1. Iob. 5. ult. & alibi.

2. Iesuita hic infert, Deum citatissimè locis reprehendere idololatriam;
quam ipse interpretatur, quum Imagines pro Diis habentur, & coluntur.
Equis verò puer fraudem non deprehendat, qui modò non ignora verit,
quòd etiam Iudæi & Gentes non semper habuerint Idola & Imagines
suas pro Diis, sed in iis vel verum Deum coluerint, vel eos, quorum ima-
gines referebant. Et tamen utriq; idololatriæ obligantur. De Iudæis ju-
dicare licet ex cultu vituli aurei: in quo Deum verum; qui ex Aegypto
ipso seduxerat, colebant: & tamen idololatriæ non tantùm obligati, sed
ob eam etiam puni sunt. De Gentib. constat, ex hoc Lactantius monito:
Ethnici dicunt. Non ipsa colimus simulacra, sed eos; ad quorū
Imagines facta, & quorū nomine consecrata sunt, &c. Quis ne-
gabit, eos & idololatriam commississe, & propterea punitos esse?

3. SECUNDA ratio, Quia rex Ezechias summopere lauda-

etur, quod serpentem æneum amoverit & confregerit, qui
populus eum religiosè colere cœpisset, 2. Reg. 18.

*Erat serpens iste non hominum, sed Dei jussu fabricatus: erat maxi-
mo sanationis miraculo clarus: erat Christi crucifixi imago. Et tamen,
quum populus incensum ei adoleret, rectè fuit comminutus. Ecquis igitur
sit tam evanescens & fungus, quin intelligat, Imagines hodie quoq; a
piis magistratib. rectè e templis tolli, ne colantur? Certe tanti momenti
rationem ipsum etiam jus Canonicum comprobare non dubitat, dist. 63.
can. Quia, § si verū: Per illud Ezechia confingentis æneū ser-
pentem, quem fecit Moses, hanc magnam auctoritatem ha-
bendam in ecclesia, ut si nonnulli ex majoribus nostris fece-
runt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, &
postea vertuntur in errorē & superstitionē, SINE TARDITA-
TE aliqua, & cum magna auctoritate a posteris destruun-
tur, &c.*

3. Ab imagi-
num adju-
cto.

4. TERTIA ratio, Quia Imago nec sancta est, nec sanctitatis
quidquam in se habet, sive materiam ejus spectes, sive for-
mam: putalignum, lineamenta, & alia.

*Sanè Scriptura non semel aut iterum, sed sapissimè, Imagines
appellat גללים Stercora, ut suprà annotatum; quia sanctus Dei cul-
tus in eis tollitur, aut sedē commaculatur.*

4. A compa-
ratione ima-
ginum cum
homine.

5. QUARTA ratio, Quia homo imago Dei potius est, quàm
imago lignea vel lapidea, &c. Est enim vera & viva, quàm ima-
gines sint lignæ vel lapideæ, &c. Nec tamen homo religiosè
colitur: multo minùs igitur colendæ sunt Imagines.

6. Scitum istud egregiè comprobatur Augustinus de vera relig. cap. 57.
Non sit nobis religio in phantasmatibus nostris. Non sit
nobis religio humanorum operum cultus. Meliores enim
sunt ipsi artifices, qui talia fabricantur, quos tamē colere non
debemus. Et Athanasius: Cur non potius per vera & naturalia
animantia, ad quorū speciē sculpta deformata sunt, presentia
Numinis sentiatur? Æquius erat ipsa viva potius coli, quàm
vivorum effigies in istis adorari. Et Ambr. in ep. ad Ro. 1. Quan-
ta hebetudo, quanta stultitia, hos se sapientes appellare ad
suam

suam damnationē, apud quos plus potest IMAG O, quā veritas, & mortui potiores sunt vivis. *Et Lactantius* l. 2. c. 18. Est perversum & incongruum, ut simulacrum hominis a simulacro Dei colatur. Colit enim, quod est deterius & imbecillius. Tene tu inexpiabile facinus esse, deserere viventē, ut defunctorum monumentis servias. Altera vanitas religionis est quod ipsæ Imagines sacra, quib. homines vanissimi serviunt, omni sensu carent, quoniam terra sunt.

7. QUINTA ratio, Quia multa pia & legitima Concilia cultum imaginum damnarunt; quorum catalogus bene longus texi possit. Horum in numero, præ aliis, censentur Elibertinum: Constantinopolitanum sub Leone III. Constantinopolitanum aliud, sub Constantino Copronymo: Francfurtense sub Carolo M. in quo damnatum Concilium Nicenum II. jussu Irenes Imperatricis convocatum. Quod decretum Ludovicus Caroli F. adversus Imaginum cultum instauravit, &c. Ad Conciliorum legitimorum decreta quadrant testimonia sexcenta ineluctabilia beatorum Patrum, Irenæi, Hieronymi, Augustini, & aliorum; quorum commemoratione supersedeo brevitate causa, & quod sint obvia cuivis hoc genus Auctorum diligentius versanti.

Hujusmodi est quartum & ultimum Problema.




GREGORIUS *Neocæsariensis Episcopus*
in Concil Nic 11. Act. 6. pag. 577.

Ioannes autem Chrysostomus sic docet, Nos per scripta Sanctorum fruimur præsentia, non sanè corporum ipsorum, sed animarum imagines habentes. Nam quæ ab illis dicta sunt, animorum illorum imagines sunt.

THEODORUS *Ancyranus, eodem Gregorio*
citante ibid. p. 580.

Sanctorum formas & species ex materialib. colorib. formari minime decorum putamus. Horum autem virtutes, quæ per scripta traditæ sunt, veluti vivas quasdam imagines reficere subinde oportet. Ex his enim ad similitudinem imitationem & zelum pervenire possumus. Dicant enim nob. qui illas erigunt statuas, quæ nam utilitas ex illis ad se redit. An quod qualiscunq. recordatio eos habet ex tali speciali contemplatione? Sed manifestum est; quod vana sit ejusmodi cogitatio, & diabolica inventionis inventum.





WILSON